



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Procemium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)





DE INCITAMENTIS  
RELIGIOSORVM AD  
VITAM SPIRITVALEM  
CONSECTANDAM,  
LIBER PRIMVS.  
Proœmium.

**H**UMANVS animus peccati vulnere  
saucius, & à prima illa innocentia fan-  
nitate, in qua à Deo conditus erat, cie-  
tus, adeo mansit infirmus & imbecil-  
lus, vt virtutem aliàs suauissimam, tamquam insul-  
sam atque insuauem horreat, & vitæ spiritualis ite-  
nera homini vegeto & firmo valde prona, non sol-  
lùm difficilia verumetiam inaccessa diuidet. Quæ-  
admodum enim ægrotus cibos dulcissimos & opi-  
paros auersatur, non quia illi amari sint, sed quia  
eius palato, humoribus noxiis infecto, amari videntur:  
ita homo peccati labe corruptus, & propè ex-  
animis effectus, virtutem ori non admouet, non quia  
illa sit iniucunda, sed quia palatum animæ perditis  
moribus, quasi malis humoribus vitiatum, eius sua-  
uitatem non valet percipere. Et sicut cursor diuer-  
sorum deserens, in quo ad quiescendum se receperat,  
magna tum animi alacritate, tum pedum celeritate  
iter suum peraget: sed si in media via à latrun-  
culis vulneretur, & vestibus exuatur, iam difficilli-  
mum est illi ambulare, & cœptum iter conficere:  
eodem prorsus modo homo, qui per æternitatem  
in diuinis manibus, tamquam in tranquillo hospiti-  
o quieuerat, & sicut in occulto conclaui delitue-  
rat, per opus creationis in mundum veniens, cœpit  
alacriter vias spiritualis vitæ ingredi, & non tam  
currendo quàm volando in Deum, à quo creatione  
exierat, sanctitatis operibus festinare. Sed heu, ab  
hostibus in ipso vitæ initio captus est, oculis euulsis  
excæcatus est, virtutibus & iustitia originali spoliatus  
est, innumeris plagis vulneratus est: impossibile  
est illi sine vehiculo gratiæ abundantioris incede-  
re, & cœptum iter conficere. Hic est quippe ille  
viator descendens ab Hierusalem in Iericho, qui &  
incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, &  
plagas impostis abierunt semiuivo relicto. Totum  
enim genus humanum (ait Augustinus) est homo  
ille, qui iacebat in via semiuivus à latronibus reli-  
ctus, quem contempsit transiens Sacerdos, & Leui-  
tes, & accessit ad eum curandum eique opituland-  
um transiens Samaritanus. Sic Augustinus.  
Hic est ille cæcus à natiuitate, qui in iniquitati-  
bus, & in peccatis generatus lumen cœleste videre  
nequit. Tam cæcus, vt appropinquante sibi sole, id  
est, Christo Iesu, neque clamauerit, neque visum

Luc. 10.  
34.  
Aug. ser.  
36. de ver-  
bis Domi-  
ni, c. 1. tit.  
10. Ioan.  
9. 10. 11.

**A** postulauerit, neque aliquid dixerit, neque saltem  
in signum desiderij palpebras mouerit, sed tãquam  
quid inanime proiectum in via, & voce Domini, &  
oculorum inunctione debuerit excitari. Vnde Ru-  
pertus Abbas. Cæcum erat ante huius lucis aduen-  
tum totum genus humanum absque distinctione  
Iudæi, & Græci, testante Apostolo, qui dicit: Era-  
mus & nos natura filij iræ, sicut & ceteri. Hic est il-  
le surdus, & mutus, cuius sanitatem omnes Angeli,  
omnes antiquæ legis iusti, & vniuersæ creaturæ à  
Domino postulabant; qui ab impuris cogitationi-  
bus, ab obscænis desiderijs, à prauis, ac vitiosis ope-  
ribus debuit separari, vt à medico animarum sana-  
retur. Hægregiè enim dicit Hieronymus, huius sur-  
di & muti ægri tudines narrans. Genus humanum  
per multa membra, ac si vnus homo varia peste ab-  
sumptus, enumeratur: In protoplasto cæcatur dum  
videt: surdus fit, cum audit; dum odoratur, emûgi-  
tur: obmutescit dum loquitur: mancus fit, dum ma-  
num extendit: incuruatur, dum erigitur: hydropi-  
cus fit, dum concupiscit: claudus fit, dum progredi-  
tur: lepra funditur, dum nudatur: dæmone imple-  
tur, dum diuinitatem appetit: morte moritur, dum  
audacter excusat, quod inobedienter commisit.  
Quid ergo mirum si homo tantis ægri tudinibus af-  
fectus, tantis plagis sauciatus, tantis morbis ex-  
haustus, in quo à planta pedis vsque ad verticem non  
est sanitas, neque virtutis suauitatem sentiat, neque  
vitæ spiritualis itinera tenere cupiat.

**C** Ex hac animi ægri tudine prouenit, vt ad bonum  
prosequendum indigemus, non tantum voce Do-  
mini excitari, gratia adiuuari, exemplis roborari, &  
verbis admoneri, verumetiam sanctis consideratio-  
nibus tamquam quibusdam ciborum condimentis  
inescari, vt virtus nobis ægris insipida aliquantu-  
lum sapiat, & nos in sui amorem, ac desiderium ab-  
ticipiat. Hoc autem, & sæcularibus est operæ pretium  
& nobis religiosis mirum in modum necessarium.  
Si enim cum habitum religiosum suscepimus, mo-  
res pristinos extulsemus, genus Adæ abieciſsemus,  
& homines esse desiſsemus, non esset necessaria  
ista diligentia, vt monitionibus ad vitam spiritua-  
lem prouocaremur: sed quia adhuc homines sumus,  
carnem ad vitam procliui angustamus, & religionem  
ingredi, non fuit prauos mores deponere, sed ad-

Eph. 2.  
3.  
Marc. 7.  
32.  
Hiero. in  
Marc. 7.  
Iſa. 2. 6.

uerſus



uersus eos acre bellum incipere, è re est nobis efficaci aliqua persuasione, tamquam in condimento ciborum ad deglutendam virtutem, & arctam viam salutis amplectendam animari.

Cum ergo propositum nostrum sit, vitam spirituales, ac eius perfectionem pro modico nostra depingere, & ad eam hortari desides, impellere ignavos, excitare dormientes, & bene currentes, ut amplius currant, roborare; Visum est in hac prima huius operis tractatione aliqua prælibare, quæ & suæ salutis oblitus ad vitam religiosam dignam exacuât, & omnes alios sanctitatis cupidos ad amorem perfectionis alliciant.

Ex multis verò, quæ in hoc argumentum adduci possent, duo præcipuè iudico efficacissima: scilicet diuinorum beneficiorum in nos exhibitorum multitudinem, & nostri status præstantiam atque sublimitatem. Nam beneficia increpant nos, si delinquamus, & altitudo status reprehendit, si more secularium, & mundanorum animæ nostræ salutem tractemus. Illud primum Ioseph castissimum incitauit, ne Phutipharis coniugem tangeret, à quo tanta beneficia receperat. Ecce (inquit) dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? ] O magnus vir, & verè dignus à domino honorari, ad hoc donorum sibi ab hero datorum recordatus est, non ut eorum commemoratione, superbiret, & insolens fieret, sed ut intra virtutis metas se contineret, & illius honori consuleret, cuius benignitate tam ingenuam captiuitatem habebat, aut potius inter seruos tanta fruebatur libertate.

Istud verò secundum mutauit miserias Iochin in magnæ dignitatis amplitudinem. Postquam enim beneficio Euilmerodach regis Babylonis eductus est de carcere, in qua diu vinculus iacuerat, constitutus est thronus eius super thronum satraparum Babylonis, vestè sordidam pro regio ornata, atque splendido comutauit, & magnificis cibis quotidie vesceretur in conspectu principis liberatoris sui. Hanc vitæ mutationem secum adduxit status, ac dignitatis commutatio. Nam æquum erat, ut qui statum captiui deseruit, & amplitudinem amici familiarissimi tanti Regis obrinuit, iam nesciret angustias carceris, & iniurias paupertatis ignoraret, sed amabilis libertatis lætitia, & magnarum opum possessione gauderet. Hæc eadem nos ad perfectionis amorem, ac sequelam permoueat; neque enim minora sunt in nobis, imò sine vlla comparatione maiora his, quæ duo prædicti viri à suis beneficiis receperunt. Nam Ioseph à suo domino opum temporalium, non tam dominium, quam administratione est assequutus; nos verò à Deo cum ipsa vocatione religiosa bonorum spiritualium multò præstantiorum ingentem copiam accepimus. Quam cum humani generis aduersarius ad vilitates sæculares, & ad desideria mundanorum nos volet impellere, debemus ad memoriam reuocare, & tamquam scuto mentem nostram donorum receptorum commemoratione munire. Huius doctrinæ præceptorem habemus hunc illusterrimum patriarcham, non verbo, quod facilis est, sed quod est multò pretiosius, virtutis, atque fidelitatis exemplo. Cuius factum enarrans Gregorius ita philosophatus est. Bona, quæ assequutus fuerat, repente memoriæ intulit, & malum, quod se pulsat, euicit, quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminenti fregit. Cum enim volupras lubrica

tentat in prosperis, hæc ipsa sunt prospera acule tentationis opponenda, ut edubescamus praua committere, quò nos à Deo meminimus gratiò bona percepisse; & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutis, ut sint ante oculos quæ percepimus, & quæ nos alliciunt subiugamus.]

Iochin verò in regis barbari, & idololatræ amicitiam est admissus; ac religiosus in Dei veri regis regum familiaritatem euectus. Ille liberatus è tenebricoso carcere, hic ereptus à procelloso sæculo. Ille eleuatus super principes Babylonis; hic associatus cælestibus choris. Ille honore affectus est, principe secum benignè loquente, iste summam gloriam adeptus, Christo secum quotidie verba miscente. Iochin abiecit vestiméta captiui, & indutus est veste regali; religiosus deposuit veterè vitam, & vitæ Christi simillimam, atque nouam assumpsit. Iochin comedebat panem in mensa regis iniqui, quo vitam corporis ad tempus conferuabat, religiosus diuina voluntate reficitur, qua in perpetuum animæ vitam conferuat. O dulcis panis, o cibus suauis, non iam corpus, sed cor hominis confirmans! Rectè enim dixit Bernardus, de hac diuina voluntate loquens: cibus vtrique est, sed cibus cordis. Quid enim æquè confirmat & corroborat humanum, quid ita in omni necessitate confortat, & sustentat, ut diuinæ voluntatis executio, velut in quendam animæ ventrè, conscientiam scilicet eius ingestat? Ille tandem, qui antea res erat, post hæc tantam prosperitatem, barbari seruus permanit, licet seruus honoratus, & præ omnibus magni habitus. At religiosus calamitatem mancipij deseruit, & se, prælato lubiticiens, Dei factus est filius. Quod si (ut inquit Ambrosius) dignitas est, seruum esse potentis, quanta dignitas erit esse Dei potentissimi filium? Si humani generis dignitas in hoc sita est (ut Leo Papa ait) ut in nobis, quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat, quæ dignitas erit statum possidere, in quo non tantum diuinæ benignitas, sed omnium diuinarum perfectionum decor eluceat? Si ergo Iochin illa umbratica prosperitate delectatus, nunquam ad angustias carceris reuertere voluit, neque ad ærumnas mancipiorum redire disposuit; & se regis Babylonis amicum considerans, indignissimum duceret (& meritò) ad pistinam mendicantem repedare; Quid faciet religiosus, non aliquam falsam prosperitatem in se cogitans, sed verissimam dignitatem, & splendorem contemplantis? An cupiet iterum diuitias perituras? An fœdas voluptates? An instabiles & vãos honores? An optabit opes incomparabiles sanctæ paupertatis deserere, delicias purissimæ castitatis relinquere, libertatem animi obedientis abrumpere? An expetet studium orationis, suauis gemitus, & dulcia suspiria; & omnium bonorum operum cumulum cum sæcularibus curis commutare? Nullo modo. Quinimò tantam sui status maiestatem mente reuolvens vitam spirituales, id est, vitam angelicæ vitæ similem, & verè homine dignam aucupabitur. Ut ergo religiosos omnes ad hanc vitam incitemus, & ad labores superandos, qui in ea passim occurrunt, animemus, sui status amplitudinem, suæ dignitatis magnitudinem, atque honoris maiestatem, ob oculos proponamus. Ex hoc enim fiet, ut gratia excitante expergefati, & adiuuante communiti, maiori strenuitate, vilitates mundanas posthabeant ad omnem virtutem, ac sanctitatem anhelent, & in vitæ spiritualis perfectionem tam sublimi statu dignissimam, magno conatu venire contendunt.

Gene. 30.

4. Re. 25.

Greg. 30.  
mor. 4. 39.Bern. do-  
min. in ra-  
mis, ser.  
3.Ambr. in  
2. epist. ad  
Timoth.  
cap. 2.  
Leo ser.  
1. de ieiun.  
10. m. 15.